

Inhalt, ein allerliebster Knabe, der seine Glückwünsche darbrachte. Am Abend brachte die Musik des Regimentes Lattermann ein Ständchen. „Es ist auch dieses frohe Jubel Fest in die Gräzer Zeitung gedrucket worden, ohne dass jemandt von uns davon Wissenschaft gehabt hätte, welche recht angenehm zu lesen ware.“ Am Namensfeste der Aebtissin wurde von einigen Frauen „Der Beruf des hl. Bernardus“ als Schauspiel dargestellt. Maria Henrica, die viel Gutes gethan und Hartes erlitten, erlebte wenigstens nicht das bald erfolgte herbe Schicksal, die Aufhebung ihres mehr als siebenhundertjährigen Ordenshauses. Sie ist am 4. December 1778 in das ewige Jenseits eingegangen. Auch die Goesser Chronik schliesst mit diesem Jahre, indem sie von Wolkenbrüchen in den Thälern und Gräben zu Goess, Laming, Lainsach, Niklasdorf, Utsch und Gams Kunde gibt.

(Fortsetzung folgt im nächsten Heft.)

Series critico-chronologica Hagiographorum decimi saeculi.

Opera R. P. D. Bedae Plaine, O. S. B., in ordinem redacta.

(Fortsetzung zu Heft II. 1893 S. 200—211.)

68. Bernerus.

Bernero primum monacho S. Theodorici Remensis, deinde instauratori monasticae disciplinae in Monasterio Humolariensi apud Viromanduos, et ejusdem asceterii Abbati debentur:

1. Vita S. Hunegundis, primae ejusdem loci abbatissae (25. aug. 658).

2. Narratio translationis ejusdem anno 946 factae

3. ac tandem liber miraculorum ejusdem Sanctae usque ad annum 964 patratorum. Istae tres scriptiones bona fide et luculento sermone elucubratae sunt: sed in translatione et in miraculis refert aut narrat auctor, ut testis auritus seu etiam ut testis oculus, dum in vita, trecentis annis ab Hunegunde distat. Quocirca pauca recenset et solummodo „prouit comperit a fidelibus enarrari.“¹⁾

69. Joannes a Sancto Arnulfo.

Joannes, Abbas S. Arnulfi Metensis, doctrina et pietate claruit in secunda decimi seculi medietate. Aliqua vero posteris reliquit scripta hagiographica, scilicet:

1. Vitam S. Joannis Gorziensis abbatis (27. feb. 974) quae teste Pertzio inter praecipua hujus aetatis historica documenta

¹⁾ Prologus in vitam S. Hunegundis.

computatur.¹⁾ Pauca profecto magis curiosa ac iter hispanicum Sancti et ejus colloquia cum rege Maurorum effingi possunt. Biographus cum Sancto familiariter vixerat eique obeunti adfuit. Immo Sancto adhuc in vivis superstite, jam in mente volverat auctor propositum scribendi vitam dicti sancti ad multorum profectum.²⁾ „Quae (tamen Joannes) a primis gesserit annis, quorum raram ad nos constat pervenisse notitiam (ut fatetur) in medium relinquens³⁾ ea tantum, quibus claruerit multis videntibus⁴⁾ expedire tentat biographus. Unde patet quali bona fide et quali studio veritatis iste replebatur. Imperfectam tamen, nescimus qua de causa, reliquit istam scriptionem noster abbas Metensis.

2. Descripsit etiam idem auctor vitam, triplicem translationem et miracula inde secuta S. Glossindis Virginis Metensis (25. jul. 608). Quoad vitam proprie dictam istius Sanctae eam fideliter mutuatus est Joannes ex scriptis antiquis, stylo tamen mutato⁵⁾ „quia lectio insulsioris scripturae non sine quadam nausea fastidit.⁶⁾ Pauca aliunde refert biographus de gestis Sanctae Virginis, de triplici vero translatione annis 760, 830 et 950 habita et miraculis patris occasione earum translationum, magis extensam orditur narrationem.

3. Officia etiam liturgica Sanctarum Luciae et Glossindis composuerat Joannes a S. Arnulfo, sed ea exciderunt injuria temporum.

70. Quatuor anonymi Gandavenses

annis 980—990 affigi posse videntur:

1. Translatio e Winterhovo Gandavum anno 980 facta corporis S. Landoaldi, confessoris et elevatio ejusdem in anno 982.
2. Vita metrica S. Bavonis, Confessoris (1. oct. 654).
3. Libri tres miraculorum ejusdem S. Bavonis.
4. Liber de translatione a Bononia Gandavum in anno 944 (n. 46) SS. Wandregisili (22. julii) et aliorum, sub forma sermonis prolati annuo die recurrente.

Pie et eleganter scribunt isti anonymi multaque commendatione digni videntur, licet aliqui noevi historici passim hic adsint.

71. Folcuinus.

Folcuinus qui obiit anno 990 Abbas Laubiensis, litteris apprime studuerat et multos alios litterarum amorem docuerat. Litteris ipse correcte et pie mandavit inter alia 1. *G e s t a a b b a t u m*

¹⁾ Monumenta Germaniae t. 4. p. 335. — Item Patrol. lat. t. 137, p. 239—310.

²⁾ Prologus in vitam S. Joannis.

³⁾ Ibid. circa finem.

⁴⁾ Ibidem.

⁵⁾ Prologus in vitam S. Glossindis.

⁶⁾ Prologus in translat. ejusdem Sanctae.

Laubiensium, in qua scriptio multa continentur de gestis Sanctorum Ursuari, Landelini et quorundam aliorum.

2. Vita primigenia S. Folcuini Episcopi Tarvanensis (14. oct. 855).¹⁾ Brevis est ista scriptio sed luculenter et cum tanto studio veritatis descripta „ut nihil in ea inseruerit auctor, nisi quod percepit ex traditione eorum, quorum approbanda erat veracitas nec refelli poterat auctoritas . . .⁴⁾ et ita supplevit incuriae multorum, qua vigente, nulla jam erat venerabilis Folcuini memoria, nisi rumor popularis.³⁾

72. Plures anonymi.

Ex his ultimis verbis Folcuini facile conjicitur quam grave et forsan irreparabile damnum intulissent in multis casibus venerationi et memoriae Sanctorum Normanni, Hungari et Sarraceni, si litterati et eruditi hujus temporis non omnem suam impendissent operam ad resarciendum tunc temporis, in quantum possibile erat, vitas Sanctorum antiquas, quae exciderant sive injuria temporum sive malitia hominum. Jam superius pluribus vicibus de eadem re aliquid delibatum est, sed neque inutile erit neque forsan ingratum aliquos hic super addere anonymos, qui iisdem, ut apparet annis, ejusdem generis scriptiones monumentis litterarum mandaverunt, scilicet:

1. Anonymus Bellovacensis, cui debetur Vita S. Justi, martyris. (18. oct. 140?)

2. Anonymus Metensis, qui scripsit: Vitam S. Terentii, Episcopi. (29. oct. 440?)

3. Anonymus incerti loci qui secunda manu descripsit: Vitam Sanctorum Jacuti et Guethenoci. (4. julii 560?)⁴⁾

4. Anonymus Tullensis, qui similiter scripsit: Vitam S. Apri, Episcopi (15. sept. 500) sub forma sermonis prolati in ejus festivitate.

5. Anonymus vero Ambianensis: Vitam S. Germani Scoti Episcopi et martyris (2. maii 490?)

6. Anonymus item Lirinensis: Passionem S. Porcarii Abbatis et Sociorum martyrum (12. aug. 735?)

7. Anonymus item Divionensis: Vitam seu potius Miracula S. Urbani Episcopi Lingonensis (23. jan. 490).

8. Anonymus item Burgundus: Vitam et Virtutes S. Vodoali anachoretæ (5. febr. 700?)

¹⁾ Patrol. lat. t. 137. p. 533—542.

²⁾ Vita n. 3.

³⁾ Ibid. n. 2.

⁴⁾ Edita est recentissime a Bollandianis in Catalogo codicum Hagiographic. Parisiens. t. 1, p. 578 et seq.

9. Anonymus item Ravennas: Vitam et miracula S. Probi, Episcopi Ravennatis (10. nov. 200?) Descripta sunt occasione inventionis corporis ejus circa annum 960 habitae,¹⁾ etc. etc.

In unaquaque harum scriptionum apparent fere semper bona fides auctoris studiosaeque ejus indagationes ad detegendam veritatem, ad secernenda vera a falsis et certa a dubiis, licet passim inveniuntur in eis aliqui anachronismi seu alii noevi ejusdem generis.

73. Adso Dervensis.

Adso primum monachus Luxovii et dein Abbas Dervensis in Campania non solum claruit religione et ardore zeli ac pietatis sed etiam fama doctrinae, pluraque nobis transmisit scripta, quorum major pars generis est hagiographici. En istorum tantummodo brevis enumeratio:

1. Vita S. Frodoberti (8. jan. 673) conditoris et primi abbatis monasterii Cellensis prope Trecas. Haec vita descripta fuerat pro prima vice ab aliquo Sancti discipulo, sed nimis justo brevius, et aliunde ista ad nos non pervenit. Eam vero non solum Adso recensuit sed etiam usque ad sua tempora prosecutus est metro et prosa. Cecinit praesertim heroicis versibus elevationem ejusdem Sancti anno 872 factam.²⁾

2. Duo libri de Vita et Miraculis S. Mansueti primi Leucorum Apostoli (3. sept. 150?) Primus ex duobus libris de S. Mansueto, gesta Sancti refert, pauca et modo oratorio commemorans, eaque solummodo „quae auctor documento scripturae perceperat.“³⁾ Unde immerito tanquam fabulator incriminatus est Adso a pluribus criticistis ultimi seculi.⁴⁾ Secundus vero liber miracula Mansueti recenset „quae nostra aetate gesta sunt et quae sine dubio facta fuisse tenemus.“⁵⁾

3. Duplex opusculum 1. de Vita S. Basoli (26. nov.), 2. de ejusdem translatione facta tempore Hinemari Remensis seu circa annum 860, et miraculis inde secutis. In quibus clare elucent modestia et bona fides auctoris, siquidem nihil refert nisi ea „quae jam ex antiquorum memoria relata erant, (scripto), seu quae ex ore fidelium proprio stylo commendavimus seu tandem ea, quibus et ipsi interfuimus.“⁶⁾

4. Vita S. Bercharii primi Altivillarensis et Dervensis Abbatis et Martyris (15. oct. 684).

¹⁾ Inveniuntur apud Muratori; Scriptores Italici, t. 1, part. 2, p. 554 et seq.

²⁾ Hoc carmen antea ignotum editum est apud *Analecta Bolland.* t. V. p. 59—64.

³⁾ Lib. 1, c. 2, Lib. 2, c. 1.

⁴⁾ *Hist. litter. de la France*, t. 4, p. 483.

⁵⁾ Lib. 2, Vitae S. Mansueti n. 1.

⁶⁾ Prologus in vitam S. Basoli n. 4.

Pro prima vita S. Bercharii merito reputatur haec scriptio Adsonis, licet auctor eam revera desumpserit ex antecedentibus documentis¹⁾ nam ea quae „notata fuerant a domestico, sanctissimoque Bercharii collegio“²⁾ ad nos non pervenerunt.

5. Liber de miraculis S. Waldeberti, tertii Abbatis Luxoviensis (2. maii 665).

Ista tractatio forsitan melius Chronicon Luxoviense nuncuparetur, „teste ipso auctore, qui profitetur se ea, quae per egregios Christi Domini Confessores, sexcentorum ferme Monachorum Luxoviensium fundatores atque rectores, Eustasium scilicet atque Waldebertum, etiam nostra aetate gesta esse divina gratia noscuntur, stylo velle commendare.“³⁾ Et inferius: „Non ea, quae in Vita operati sunt, tangimus, sed quae, nobis intuentibus, contigerunt.“⁴⁾ Aliquot vicibus eadem fere de verbo ad verbum inveniuntur in hoc opusculo, quae adsunt in Vita S. Bercharii,⁵⁾ unde patet eundem esse utriusque tractationis auctorem, licet hic taceat proprium auctor nomen.

74. Uffingus.

Monachus erat Wertinensis (Verden in Westphalia) Uffingus, eruditione vero et sermonis elegantia fulgebat, nec artem metricam ignorabat. Duo nobis transmisit scripta hagiographica, scilicet:

1. Vitam seu librum de conversatione et miraculis B. Idae Viduae et postea Sanctimonialis apud Hersfeldiam in Germania. (4. sept. 820?)

Ipsa auctore teste „perplura Idae miracula vel antiquitate temporum vel scriptorum incuria oblitterata remanent. Illa vero (solum) quae a personis idoneis vulgata didicimus, vel modernis temporibus visa simul et auditu propalata sunt veraci et simplici relatione conabimur explanare.“⁶⁾ Quoad aetatem, certum est Uffingum non ultimam manum apposuisse suae scriptioni nisi post annum 980, siquidem translationem corporis sanctae viduae hoc anno factam refert et narrat.⁷⁾

2. Idem Uffingus carmine cecinit heroico miracula S. Ludgeri Episcopi (26. mart. 809) Monasteriensis ejusque versus aliqua commendatione non indigni videntur.

75. Letaldus, monachus Miciacensis.

Letaldus pertinet ad ultimos annos decimi seculi siquidem obiit in anno 995. Vita vero ejus et scripta plane evincunt in

1) Vita S. Bercharii n. 1.

2) Prologus in eandem vitam.

3) Prolog. in Miracula S. Waldeberti.

4) Ibid.

5) Confer. n. 2. Vitae S. Bercharii cum n. 3 Miraculorum S. Waldeberti.

6) Prologus in miracula B. Idae.

7) Ibid. n. 31 et 32.

errore et in injustitia detineri quoslibet modernos criticistas, qui temere insimulantur hagiographos quosque decimi seculi, quasi prorsus expertes regularum artis criticae. Nam Letaldus, de quo nunc tractamus, tam alacriter artem criticam excoluit, ut aliquam prae se ferat affinitatem cum Launovio, Tillemontio et eorum sequacibus. Etenim quum ei demandatum esset ut ea, quae ab antiquis congesta erant de actibus gloriosi Praesulis Juliani Apostoli Cenomaniae de qua provincia oriundus erat Letaldus „pleniori et luculentiori ordine texere . . . seu nova dealbatura vestire curaret“¹⁾ ille ultra hos limites temerarie progrediens, ipsas traditiones antiquas imminuit seu immutavit ut „per conjecturam“ concorditer ageret cum Gregorio Turonensi.²⁾ Aliunde correcte et eleganter narrat Letaldus, recensetque tum gesta, tum miracula Cenomannorum Apostoli.³⁾

Recensuit etiam Letaldus Miracula S. Maximini Abbatis Miciacensis (7. dec. 507)⁴⁾ quae scriptio profecto compta est et eleganter exarata sed pauca continet de miraculis S. Maximini et meliori titulo vocaretur Historia monasterii quam liber miraculorum. Solummodo circa finem sui libri auctor extensius refert miracula quae „aut ipse vidit, vel audivit ab his, qui viderant, vel sincere acceperant.“⁵⁾ Letaldus, ut jam diximus, correcte et eleganter scribit, sed in contrarium coaevorum ejus nunquam apud eum prosa et metrum intermiscitur.

76. Gerardus, Augustanus.

Obit Udalricus Episcopus Augustanus die 4. julii anni 973, et cum eximia sanctitate praefulsisset, vita ejus primigenia scripto mandata est sine mora et certe ante finem decimi seculi, siquidem haec eadem primigenia vita recensita fuit et in compendium redacta circa annum 1002 a Gebehardo, quarto Sancti successore.⁶⁾ Auctor vero primigeniae vitae S. Udalrici vocatur ordinarie Gerardus, licet a quibusdam eruditis anonymus reputetur. Sed sine dubio ab Udalrico ipso biographus presbyter ordinatus fuerat et cum eo pluribus annis familiariter conversatus fuerat: unde multa refert tanquam testis oculatus.⁷⁾ In duos libros partita est vita S. Udalrici: quorum prior vitam et gesta Sancti recenset, posterior vero miracula narrat post mortem patrata, tum ea quae auctor testis oculatus noverat, tum alia quae acceperat a testibus

¹⁾ Epistola ad Avesgandum in Vitam S. Juliani.

²⁾ Ibid. n. 3 et 4.

³⁾ Aliquot Miracula S. Juliani a Letaldo recensita et hucusque incognita edita sunt in *Analectis Bollandianis* t. 1, p. 112 et 113.

⁴⁾ *Patrol. lat.* t. 137 p. 797 cum seq.

⁵⁾ Liber de Miraculis S. Maximini, n. 28.

⁶⁾ Prologus Gebehardi in secundam vitam S. Udalrici, t. 2. julii p. 96. n. 134.

⁷⁾ Vita S. Udalrici, n. 18, 58, 93, 118 et passim.

oculatis.¹⁾ Simpliciter et sat correcte scribit iste biographus multumque adjuncti praebeuit ejus scriptio profectui rerum historicarum temporis.

77. Egilwardus.

Monachus erat S. Andreae Herbipolensis Egilwardus et litteris apprime excultus. Nulla tamen ei debetur scriptio primigenia, secunda vero manu descripsit duplicem vitam Sanctorum Kiliani martyris (8. jul. 689) et Burchardi, Episcopi Herbipolensis (14. oct. 770). Habebat Egilwardus in hac re propositum recensendi et amplificandi quod antea nimis justo brevius erat. In qua cura ex obedientia adimplenda, „studiose res decerpit ex nonnullis antiquariorum relationibus satis simpliciter exaratis“ easque deinde „juxta veridicam praecedentium Patrum relationem enarravit.“²⁾ Tempus vero, quo iste scribebat, noscitur ex eo quod posuit ultimo loco translationem S. Burchardi, quae non peracta est nisi circa annum 980.³⁾

78. Roswitha Virgo.

Concludemus praesentem tractationem cum nomine piae et illustris Virginis Roswithae, Sanctimonialis Gandersheimensis in Saxonia, quae vivens habita fuit tanquam decimi seculi miraculum simul et oraculum prae magna fama eruditionis et scribendi metricae et prosaicae peritia, quibus effulsit. Non solum Historiae et Hagiographiae fructuose studuit ista sanctimonialis sed etiam alios scientiae divinae et humanae ramos impense coluit nec linguam graecam ignoravit. Major tamen pars Roswithae scriptorum generis sunt hagiographici, seu ad laudes Sanctorum vergunt, non exceptis his, quae, volente ipsamet, Comoediarum nomen prae se ferunt, nam hoc nomine insigniuntur hanc propter unicam causam, scilicet quia ad relaxationem mentis efficta fuerunt.

En simplex enumeratio scriptorum hagiographicorum Roswithae.

1. Historia B. Mariae Virginis, ex evangeliiis apocryphis praecipue desumpta.

2. Passio S. Gangolfi martyris Burgundi.

3. item S. Pelagii pueri Cordubensis.

4. item S. Dionysii Parisiensis Areopagitae.

5. item S. Agnetis Virginis et Martyris.

Hae quinque scriptiones versibus constant hexametris, e quibus multi bona nota digni sunt, aliquot vero a regulis metri et elegantiae dissident.

¹⁾ Ibid. n. 118 et alibi.

²⁾ Vita S. Burchardi, n. 37 et 53.

³⁾ Ibid. n. 51.

Quoad sex comoedias Roswithae, tertia excepta, quinque aliae ad hagiographiam pertinent. Nam prima quae prae se fert nomen: Gallicanus nihil aliud est quam recensio seu amplificatio Actorum SS. Joannis et Pauli.

Secunda vero sub nomine: Dulcitus pro objecto habet Passionem Sanctarum Virginum Agapes, Chioniae et Irenae.

Quarta quae Abraham titulatur, versatur circa conversionem Mariae peccatricis opera avunculi ejus Abraham eremitaе inchoatam et ad felicem exitum perductam.

Quinta similiter pro objecto habet admirabilem poenitentiam Thaidis meretricis, quae conversi post Deum fuit fructus orationum et piorum monitorum S. Paphnutii. Nec aliter loquimur de sexta et ultima, quae nihil aliud est quam recensio Actorum Sanctarum Virginum et Martyrum Fidei Spei et Charitatis.

Prosaice sunt exaratae Comoediae Roswithae dum metro seu stylo ligato redactae sunt Vitae et Passiones Sanctorum de quibus supra sed utriusque generis scriptiones comitate seu styli nitent elegantia.

Diem non clausit supremum Roswitha nisi vergente prorsus ad finem decimo seculo. Quocirca et nos cum hac notitia finem imponimus huic praesenti tractationi quae eandem aetatem pro unico habet objecto.

Epilogus.

Haec sunt ergo, quae de hagiographis decimi seculi, multum hinc inde inquirendo, collegimus seu potius quae ex his, quae circa hanc rem ab aliis collecta jam fuerant, inserere in hac praesenti recensione, conveniens et rectum judicavimus. Multa sine dubio, quod tristes sincere fatemur, nostram notitiam effugerunt. Sed nihilominus ea, quae proferimus, sufficiunt ad solide probandum, ni fallimur, quod decimae Christianismi aetati sicut, aliis historiae epochis nunquam defuerunt scholae et gymnasia seu viri literati et eruditi in omni genere scientiarum. Unde in errore et in injustitia detineri certum est quoslibet neotericos, seu Catholicos falsae notae criticae, qui contrariam tenent sententiam, somniantes mentem humanam non solum in individuo sed etiam in societate et familiis etiam monasticis sopitam fuisse decimo seculo cursum suum peragente. — Faxit Deus ut haec minima recensio hagiographica aequaliter proficiat tum ad confutationem tam perversi erroris tum ad honorem Sanctorum.
